

9



D E
VITA ET SCRIPTIS
JOSEPHI ATTI
MEDICI CHIRURGI
PRÆSTANTISSIMI
COMMENTARIUS
AUCTORE
CAJETANO TERMANINIO.

BONONIÆ

Typis De' Franciscis ad Columbæ .



Omnis, quæ instituitur in excellentium Viro-
rum interitu de vita eorum commemoratio, si-
ne ira et studio suscipienda est; ne hi animi
affectus veritati rerum gestarum, quod Histo-
ricum maxime dedecet, quoquo modo officiant.
Hinc a commentando de aliquo is omnino ab-
stinere debet qui eum, quem demonstrandum
aggreditur, vel nimio amore, vel odio prose-
quitur; namque incompositi animi motus, queis
ipse agitatur, orationem suam, se etiam invi-
to, palam omnibus labefactabunt. Quid autem
est turpius quam falsa pro veris afferre, aut
nimium, vel minus quam par est, eum lauda-
re, cuius historiam tradere constitueris?

Quapropter cum mihi primum in mentem
venit de Josepho Attio nonnulla conscribere,
plane sensi investigandum mihi esse, num ani-
mus meus iis affectibus reapse careret, quos
veritati adeo infensos esse affirmavi: cumque
cognovissem me ira quidem exemptum esse,
non autem studio propter singularem observan-
tiam, qua Præceptorem carissimum, affinem et
conjunctissimum familiæ meæ Virum, comple-
xus sum semper, dum viveret, extinctum etiam
prosequor; veritus sum ne inconsulte fuerim
nimis laudaturus qui longe minus, quam mihi
videatur, laude dignus extiterit. Attamen cum
animadvero me de eo scribere, qui paucis an-
te mensibus adhuc in vivis degebat, et in ore

atque oculis universæ civitatis versabatur , ab iisque me lectum iri , qui illo familiarissime utebantur , qui que omnia ejus gesta adamussim pernoscebant , a quibus nefas mihi esset mendacii exprobationem ultro in me provocare : cum præterea considero , me nihil de eo prolatrum , quod aut ipsismet oculis ego non viderim , aut a fide dignis compertum non habuerim ; non modo ab instituto meo non esse mihi recedendum , sed in eo potius sine ulla dubitatione aut timore manendum existimavi .

Erit igitur Commentarius hic meus candido et ingenuo , licet tenui et rudi stilo , conscriptus : atque in eum finem tantummodo spectabit , ut gratum animum meum erga Præceptorem suavissimum , et obsequium erga summum et optimum Virum exhibeat ; adeo ut memoria illius , qui tot præclare gestis immortalitatem promeritus est , testimonio etiam meo , quantulumcunque est , apud cives nostros confirmetur .

Josephus Attius Bononiæ honesto genere natus est anno millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio Kalendis Februarii . Is egregiæ indolis manifestissima proferre indica usque a pueritia cœpit ; fuit enim jam inde ingenuus , comis , docilis , humanus , non iracundus , non desidiosus : Religionis vero rudimenta , a piissimis Parentibus Matthæo Attio , et Anna Sanutia accepta , diligenter coluit , et constanter retinuit quamdiu vixit ; ex iisque uberrimos fructus perpetuo edidit .

Ineunte adolescentia in disciplinam religiosæ illius Societatis traditus est, quæ tunc temporis educationi universæ Civitatis præerat, quæque eum non ad literas modo, sed ad bonos quoque mores sedulo instituit. In eo autem eximia quædam inerat discendi voluntas, et audiendi studium, atque cupiditas: sed ei præcipuum Naturæ instrumentum ad bene et expedite discendum, ingenii scilicet acies, non multum inerat: quod nescio an probro, an potius laudi sit tribuendum; quidquid enim sub Magistris profecit (multum autem profecisse palam faciam) illud totum habuit e disciplina et solertia, quarum ope eam mentis vim, quam a Natura nactus erat, intendit atque auxit.

Primorum studiorum emensus currículum, Philosophiæ se dedit, in qua a Josepho Voglio accurate est eruditus. Scrutabantur interim Parentes ejus, utrum ad aliquam certam Scientiam adolescentulus voluntatis inclinatione pro penderet; et quænam porro inter Scientias ei maxime arrideret: cumque cognovissent eum Medicinæ studii cupidum videri, ad hujus præceptis eum imbuendum præstantiores Magistros elegerunt. Hinc Botanices præceptorem habuit Cajetanum Laurentium Montium, Anatomes Carolum Mondinum, Medicinæ theoreticæ Cajetanum Uttinium, clinices autem Alexandrum Bontium, et Cajetanum Fattorinum. Inter vero Medicinæ partes visus est Attius Chirurgia summopere delectari, cujus amore cæteras fere

contempsit; Chirurgiæ enim propter opportunas animi, et corporis qualitates intelligebat se esse aptissimum. Quapropter Chirurgiæ elementa a Ferdinando Marchesino avide arripuit, Cystotomiam ad calculos educendos a Josepho Bacchettonio, Obstetriciam a Joanne Antonio Gallio: et ne quid ei deesset, ad Anatomen exteriorem, quæ tanta pars Chirurgiæ est, operam suam, ultra quam Medico opus videtur, animum adjunxit. Nihil autem ei magis cordi tunc erat, quam ut occasio se offerret, quum ea, quæ toties in cadaveribus expertus erat, in viventibus hominibus exequi posset.

Inciderat Attius in ea tempora, quibus Bononiæ Chirurgia cum Cajetano Tacconio, et Petro Paullo Molinellio, summis Viris jam vita functis, pene interierat; etenim Joannes Petrus Molinellius Petri Paulli filius, et Gaspar Gentilius, qui eam tueri potuissent, procul aberant a Patria: Ferdinandus vero Marchesinius, et Josephus Bacchettonius, quorum alter in Nosocomio Sanctæ Mariæ Mortis externis morbis medebatur, alter ad calculosos curandos a Senatu fuerat stipendio conductus, ætate et morbo dejecti, Chirurgiam pene deseruerant, atque a suscepto diuque obtento munere levare cupiebant.

Attius nullo fere usus Præceptore præter Socerum Josephum Bonagam, qui minorem quidem Chirurgiam inter primos exercebat, maiorem vero adjumento tantummodo juvabat, nullo

proinde , aut prope nullo exemplo Magistri edoc-
tus , genio suo indulgens , quo in Chirurgiam
ferebatur , asperiores illas Chirurgiæ Operatio-
nes aggredi ausus est , quibus obstructa lens
crystallina ab oculi pupilla removetur , lapis
ex vesica urinæ evellitur , aneurysma arteria-
rum vinctura oblitteratur , fetus transversus ab
utero educitur : quas curationes , antequam
Medicinæ et Chirurgiæ laurea donaretur , quod
anno millesimo septingentesimo septuagesimo
nono ei contigit , dum scilicet Medici Adsi-
stentis munus in Nosocomio Sanctæ Mariæ
Mortis adhuc fungeretur , perficere cœpit : in
quibus Operationibus adeo præclare se gessit ,
ut adolescens senes , tyro veterans non æqua-
ret modo , sed etiam superaret : eaque felici-
tate usus est , ut curationes fere omnes ab eo
susceptæ prosperum exitum habuerint ; quo fa-
ctum est ut universam Civitatem in sui ipsius
traxerit admirationem .

Erat ejus æqualis et æmulus , amicus ta-
men a condiscipulatu carissimus , Tharsitius
Riviera , qui Bartholomæi Rivieræ , nobilis qui-
dem tunc temporis Chirurgi , sed jamdiu do-
mi morbo detenti , erat fratriis filius : vir a-
ptus , et factus ad omnia , propter acumen et
vim mentis , et naturalem ingenii dexterita-
tem : qui primus omnium Bononiæ extitisset ,
nisi cum Josepho Attio fuisset ipsi conten-
dendum . Redierant etiam paullo ante in Pa-
triam et Gaspar Gentilius , qui Parisiis et Mon-

te Pessulo, Chirurgiæ descendæ causa, nonnullos annos erat commoratus, et Joannes Petrus Molinellius, in quem Natura quidquid valet idoneum, et acceptum Chirurgum reddere, plenis manibus profuderat. Cum his de principatu, et de Cathedra, quam Benedictus decimus quartus pro chirurgicis Operationibus in cadavere docendis, et demonstrandis Bononiæ constituerat, quamque Gaspar Linguerrius nuper moriens reliquerat, fuit ipsi decertandum.

Ex utraque vero contentione Attius superior discessit; namque ineunte anno millesimo septingentesimo octogesimo Josepho Bacchettonio adjutor datus est: duobus vero post annis Ferdinando quoque Marchesinio ut ipsius auxilio in Nosocomio uteretur permisum est: immo ingravescente in dies Marchesinii valetudine, anno millesimo septingentesimo octogesimo quinto ex onere omnino exemptus fuit et quieti datus; atque in ejus locum Attius suffectus est. Neque deinceps ullus fere erat in universa Provincia, atque adeo in finitimis regionibus, Picentinis præsertim, cui magna aliqua chirurgica Operatio opus esset, qui ad eum non confugeret; ne pauperibus quidem exceptis, qui publicum Nosocomium Sanctæ Mariæ Mortis, in quo Attius Chirurgiam faciebat, cæteris Nosocomiis anteponebant. Itaque princeps Chirurgorum Bononiæ extitit, atque habitus fuit.

Hoc opinionum de eo consensu Cathedram

etiam Benedicti decimi quarti facili negotio obtinuit, ad quam illi decernendam non solum lectissimorum, et dignitate præstantium Civium, et singulorum Senatorum voluntas, sed et vota et preces Scholasticorum omnium anno millesimo septingentesimo nonagesimo primo Pium Sextum Pontificem Maximum, et Senatum ipsum certatim compulerunt.

Neque hoc tantum munus adeptus est Attius, sed et Lector publicus in Bononiensi Archigymnasio, primum honorarius, mox stipendio constituto, anno millesimo septingentesimo octogesimo octavo exeunte, renuntiatus est, et in Ordinem Benedictinorum Academiæ Bononiensis tunc temporis, quemadmodum postea inter Sodales tum Instituti Italici, tum ~~coetus~~ Lucensis Medicinæ et Chirurgiæ excolendæ, et Academiæ Ligurni Portus est cooptatus: tandem nostræ Clinices chirurgicæ Magister electus est, et in Collegium Medicum Chirurgicum adscitus.

Ecquis autem Bononiæ unquam fuit qui hos honoris gradus magis promeruerit? Nihil enim in eo deerat quod in egregio et numeris omnibus absoluto Chirурgo possis desiderare; namque et in ejus vultus forma venustum quidam inerat, atque decens, et in sermone ad ægrotantium animos recreandos mira suavitas, et vis quædam ad timidiores, vel pertinaciores quoscumque evincendos accomodata. Erat præterea ipsi oculorum acies acerrima, et in utra-

que manu tanta firmitas et dexteritas, ut vel dum latius et altius ægroti membra incideret, secaretve, nutaret nusquam, aut hæreret vel minimum, et elegans quiddam, et jucundum, quod cæteroquin atrox, et inhumanum vulgo videtur, adstantibus Medicis, et Chirurgis exhiberet.

Quid autem de ejus judicio circa morbos dicam, quod difficile cuicunque esse Hippocrates affirmavit? Atqui Attius a Natura et ab experientia ita erat comparatus ut, cum ægrotum vidisset, illico primoque ipso, fere dixerim, intuitu, quo ille morbo afficeretur, et qualem morbus exitum habiturus esset, sine ulla hæsitatione pronunciaret: cuius judicium eventus ita confirmare solebat, ut non conjectasse, sed divinasse potius videretur.

In Operationibus vero chirurgicis humanitate tanta usus est semper, ut dolores, quos ipse ciere cogebatur, enixe, atque omni qua posset ope lenire studeret. Humanitatem autem hanc tantam virili quodam animi robore, et constantia ita temperabat, ut cum obtusis auribus ab adolescentia fuisset, surdior etiam, quam reapse erat, ad ægrotantium clamores et ululatus interdum videretur; quoties scilicet nimia, et intempestiva humanitas ægrotanti esset obfutura.

Porro in ipsa Operatione sive instituenda, sive provehenda, sive absolvenda, quot non occurunt obstacula, quæ neque cognoveris, ne-

que prospexeris , neque possilia putaveris antea ? Incredibile autem est quam cautus , quam sagax , quam paratus et promptus Attius fuerit ad ea sive antevertenda , sive superanda . Adhuc memini , nec unquam ex animo meo illius diei memoria discedet , quo lapidem e vesica Stephani Boninii extrahere Attius aggressus est . Catheterem sulcatum in vesicam demittere non potuerat propter urethræ angustiam , quæ vix subtilissimam illam fistulam , qua urinam ex infantibus educimus , ægre admittebat . Tunc Attius ad me conversus (adseram enim , una cum Matthæo Venturolio , lectulo miserrimi , atque ab omni spe dejecti amici) leniter , ut solebat , arridens sciscitatus est , num tam infido duce sibi liceret cystotomiam suspicere : cui extemplo respondi , ei licere , quidquid vellet , audere ; exitum de more prosperum futurum . Quo meo responso cum fluctuantem animum confirmasset suum , ausus est juxta tenuissimam illam fistulam cultri aciem in partes tot periculis circumdatas , ut ad membranaceam urethram pertingeret , ea securitate immittere , qua usus esset si catheterem sulcatum adhibere potuisset . Ut autem incisionem a membranaceo urethræ spatio in vesicæ cervicem et in prostatam glandulam produceret , commune specillum rectum sulcatum juxta fistulam in vesicam indidit : mox ejus sulco inferius et oblique converso , capitulato cultro , per eum ducto , aditum ad vesicam digito , et forcipi relaxavit .

Quod autem consilium ipse dederam , ut operationem illam , licet periculosissimam , Attius aggrederetur , non dedissem sane ut eam in altera parte secundi Tomi Actorum Instituti Italici pervulgaret , quin simul Lectores luculenter ; et graviter commonefaceret , arduam hanc methodum desperatis tantum casibus , et quibusdam tantum Chirurgis esse reservatam ; temerarius enim hic est operandi modus , non imitandus , nec imitationi proponendus , Fratri Jacobo Beaulieu jure merito exprobratus , nemini licitus , vel ipsa necessitate cogente , nisi illi , qui tantam sibi dexteritatem diurna exercitatione comparasset , ut a statutis legibus ei fas esset aliquando recedere .

Cæterum non temerarius , sed prudens , non audax , sed cautus in chirurgicis Operationibus sive suscipiendis , sive perficiendis Attius perpetuo fuit : cuius rei magno arguento est ipsum , quum inusitata fortuna vesicam ad lapidem educendum methodo Cheseldeniana , quæ simplicissima quidem omnium est , non autem cæteris expeditior nec tutior , multis annis secuisset , Petri Tarini instrumenta postremo tempore adoptasse ; ac proinde sulci catheteris hiatum in eam angustiam adduxisse , ut triangulare capitulum cultri , cum semel in illius aditum , quem satis amplum reliquerat , introivisset , ab ipso sulco excidere aut aberrare nunquam posset . Quod equidem non eo fecit ut sibi consuleret (nihil enim de se dubitabat) ,

sed ut discipulorum securitati provideret, eosque a nimia sui fiducia averteret.

In eundem finem scalpelli cystotomi formam nonnihil immutavit; namque ejus dorsum, quod Cheselden rectum fecerat, excavavit Attius, ita ut catheteris sulci convexitati, per quam cultri apex excurrere debebat, hujus dorsi cavum responderet, essetque ei fere parallelum; ne ulterius aut altius, quam par erat, convexo suo ventre scinderet culter, dum in vesicam propellitur. Aciem præterea scalpelli eodem consilio produxit, ne ejus venter nimis progrederetur: et revera hac forma donatus culter, dum extremum sulci catheteris in vesica attingit, eam incisionem prostatæ et vesicæ cervicis jam perfecit, quæ satis est ad calculum extrahendum. Nodulum tandem seu capitulum, quo Tarinus verticem scalpelli instruxerat, in dorsi initio prope apicem, potiusquam in ipso apice Attius collocavit, ut remanente cùspide, eodem cultro utraque incisio, idest non modo interior, sed et exterior posset absolvī.

Ut autem tutius et commodius tractari manu, et expeditius immitti in externum vulnus scalpellus cystotomus posset, ejus manubrium angustius ex eodem chalybe, ex quo acies constat, fecit, illudque ad manus formam inclinavit: ei præterea caudam quandam inferius addidit, sicque bifidum, sive bisurcum fecit, ut altero sui extremo manus dorso, alte-

ro, seu cauda, palmæ niteretur, angulo vero, quo cauda adjungitur convexitati manubrii, duplicatæ cuti, pollici et indici digitis interjectæ, incumberet; adeo ut ejus auxilio ad duriores quoque prostatas, si quando occurrerent, incidendas Chirurgi manus esset validior.

Longius vero, quam par est, progredetur sermo, si singula instrumenta, et artificia persequi, et recensere vellem, quibus Attius chirurgicam supellectilem, et curationes, vel Operationes fere omnes locupletavit; namque, ut alia omittam quamplurima, acum illam, quam Clarissimus Goulardus ad alligandam arteriam, quæ singulis costis subjacet, invenit, Attius ad injiciendum vinculum superiori arteriæ truncō, tum cum aneurysmate inferius is laborat, et cum præstat ibi truncum obligare, ubi profundius excurrit, peropportune transtulit. Quo autem commodius acus illa huic fini inserviret, longiori, et validiori eam manubrio instruxit, et majori curvatura donavit, adeo ut semicirculi modum æquaret. Supererat vero difficultas non levis, duplicitis nempe fili ex duplice foramine, quo acus Goulardi prope cuspidem terebratur, extricandi: quæ difficultas a sanguine, quo filum tunc inficitur, et imbuitur, proficiuntur. Cui difficultati ut occurreret Attius, ne scilicet acus eandem repetere cogeretur viam, quam semel erat ingressa, acum cum manubrio cochleæ ope ita conjunxit, ut disjungi pro vo-

Iuntate posset; proindeque cum transduxisset subtus arteriam, una cum acus cuspide, duplex filum, manubrium ab acu removebat, ita ut hinc acus, illinc trahi posset manubrium: reliquum vero in vulnere duplicatum filum ab adjuncta acu, in cuius ellipticum foramen introductum antea fuerat, forficulis facile dividebat. Gravissimum præterea imminebat periculum ne, adjacentes, et suppositas arteriæ partes dum transgrederetur acus acies, proximam arteriæ venam et, quod majoris momenti est, nervum vulneraret: quod discrimen tanti fecerant Thibautius et Molinellius, ut satius duxerint venam, et nervum simul cum arteria ligatura comprehendere, quam acus cuspidi nervum objicere. Hanc perniciem ut averteret ab his partibus Attius, acus suæ cuspidem obtudit; ita ut mollissimam quidem cellularē illam, quæ hisce partibus interjacet, expeditissime penetrare posset, partes vero illas, vel proximas, lädere non posset. Hac ratione arteriam Attius seorsim deligabat, a quacumque noxa nervo incolumi servato. Quamvis enim Molinellius admoneat *ægros . . . ad sanitatem perductos nervo ligato fuisse, ut neque celerius, neque melius non ligato perduci potuisse viderentur*; fatendum tamen præstare, dummodo id sine periculo fieri possit, eum vinctura non complecti, sed omnino declinare, ne gangræna vel spasmus ab ejus constrictione oboriatur: quod Attii acus mirifice cavet.

Neque est silentio prætereunda occasio , quam nactus est Attius ut Goulardi acum ad aneurysmatis curationem traduceret ; namque occasio ipsa ejus perspicaciæ , et solertiæ magno est argumento ; cum enim tibialis arteriæ posticæ aneurysma ei curandum forte contigisset , continuo animadvertisit , si arteriam extimam cruralem in femore alligavisset , Anelii primum , mox Hunteri præceptis illectus , et loci captus commoditate , verendum sibi fore ne rami , qui ab eo trunco ultra ligaturam prodeunt , quiique ad eundem truncum infra ligaturam redeunt , tantam sanguinis vim in ipsum effunderent , ut saccum , in quem inferius se explicaverat cellulare arteriæ involucrum , in pristina distensione retinerent : quod non modo inutilem redderet Chirurgi laborem , sed periculo morbi illud quoque curationis adjiceret . Neque enim id perpetuo usuvenit , quod aliquando accidisse fertur , ut scilicet , injecto vinculo , obstruatur arteria tum prope ligaturam , tum prope aneurysma ; cum experientia compertum habeamus contingere potius , aut fere semper aut sæpius saltem , quod Monteggia observavit , ut trunci obstructio ad proximiores tantum ramos trans ligaturam , scilicet cor versus , producatur . Superiores vero hi arteriæ rami , paullo post ligaturam injectam , vi irruentis sanguinis ita distendi solent , ut trunci obstructi vices gerant , et aneurysmati supposito eandem fere sanguinis copiam

suppeditent, quam truncus ipse paullo ante in illud impellebat. Hic autem perniciosus ligaturæ effectus, procul ab aneurysmate injectæ, Chirurgum interdum adigit, ne curationis et laboris sui fructum amittat, ad alteram ligaturam superius injiciendam, qua ad eos quoque ramos sanguini via intercludatur: quod sane periculosiorem reddit curationem. Hinc Joanni Huntero et António Scarpæ concedit Attius, ligandam quidem esse exteriorem cruris arteriam in ea femoris parte, ubi cute tantummodo et musculo *fascialata* contegitur, tum cum aneurysma in poplitis cavo latet; namque commodius eo loco arteria vinculo cingi potest: neque verendum ibi est, ne arteriæ truncus, aut proximi morbi particeps inveniatur, aut a sua sede recesserit, aut cum vena et nervo arctius conjungatur, ita ut difficile sit arteriam seorsim diligare, quin nervus lœdatur: quæ omnia verenda maxime erunt si Chirurgus, veteri usus methodo, arteriam prope aneurysma ligandam susceperit. Cum vero aneurysma, quod Attii curationi commissum fuerat, tibialem arteriam posticam invasisset, ubi peroneam emitit, qui locus a femore admodum distat; satius duxit prædictis de causis in poplite, qui nec parum nec nimis ab aneurysmate abest, quam superius in femore, arteriæ truncum diligare: quo consilio veteris et recentioris methodi utilitates apte conciliavit, atque utriusque incommoda, et pericula removit.

Non semper tamen Chirurgo licet arteriam procul ab aneurysmate pro voluntate ligare ; cum interdum aneurysma prope ea loca increcat , ultra quæ nefas videatur vinculum arteriæ injicere . Hic scilicet casus anno millesimo octingentesimo quarto Josepho Attio se obtulit . Ingens enim aneurysma , a nisu vehementi ortum , paullo infra inguen , ad eum locum , quo femur abdomen versus flectitur , homini cuidam triginta quinque annorum intumuerat : nullus adhuc Chirurgus extiterat (quantum ipsi Attio innotuerat) qui arteriam femoris communem deligare ausus esset ; veriti plerique eorum , ne iliacæ internæ ramuli , qui juxta ischion cum musculari arteria femoris per circumflexos hujus ramos , et per ejusdem perforantes arterias cum articularibus ligati trunci surculis circum genu communicant , ad sufficientem sanguinis copiam inferioribus partibus suppeditandam non valerent . Neque mirandum est , Attium tunc latuisse , quod unus Abernethy octo ante annos , quemadmodum Hodgson refert , in Anglia præstiterat ; namque et ipsum eruditissimum Scarpam id latuisse videtur ; cum enim pro aneurysmatis inguinalis curatione , femoralis arteriæ communis ligaturam in celeberrimo illo , quod de Aneurysmate scripsit , Opere Scarpa proposuerit , eamque compressioni , qua Guattanus , Gavina , Clarke , et Mayer usi fuerant , longe præstare censuerit ; hoc ipso patet , ei tunc minime innotuis-

se, quemquam antea suscepisse id, quod ipse tum proponebat; secus illud nunquam Scarpa ut novum proposuisset. Ecquis autem ab alterutro expostulasset, ut quidquid inventum aut actum est in remotissimis regionibus, compertum haberet, antequam inventæ aut actæ res late vulgarentur; tunc præsertim, cum atrox illud inter Gallos et Anglos bellum exarderet, quod Disciplinarum omnium et Artium profectibus adeo fuit infestum? Neque revera quisquam extitit, non Freer, non Tomlinson, non Astley Cooper, non cæteri Abernethy sectatores, qui ante millesimum octingentesimum quartum annum, non dicam iliacam, quemadmodum Abernethy fecit, sed ne femoralem communem quidem arteriam ligaverit, quemadmodum Attius fecit; adeo ut si hic primus omnium non extitit qui id ausus sit, extiterit saltem alter a primo.

Sed ut ad rem redeam, summum interim homini instabat vitæ periculum, quod moram et cunctationem omnem respuebat. Hinc Attius necessitate potius adactus, quam voluntate aut spe ductus, cutem a summo tumore ad femoris ligamentum secuit: adjacentem musculi *fasciælatæ* aponeurosim incidit, et suppositam arteriam, seorsim a proximis partibus, acu sua ligavit. Injecto vinculo, pulsatio aneurysmatis illico conquievit, et paullo post tumor ipse defecit: calor autem, et color, et circulatio sanguinis in inferioribus partibus per-

severabant ; quæ faustum quidem curationis exitum ominabantur. Ast decima quarta , ab injecto vinculo , die tanta vis sanguinis ab ipso trunco superius disrupto , unde epigastrica arteria prodit , subito effluxit , ut æger pene exanimatus fuerit . Qua calamitate perculsus Attius , quam proxime ligamentum , arteriam iliacam ipsam ita deligare studuit , ut nonnihil ligamenti ipsius necesse habuerit vinculo comprehendere : quo facto hæmorrhagia quidem cohibita statim est , sed tanta sanguinis copia jam eruperat , ut æger superesse non potuerit .

Cum vero primum hæmorrhagia oborta est , metuendum sibi Attius continuo sensit , ne injectum vinculum , quod , dum perstringitur , internam , et fibrosam arteriæ tunicam illico circumcidit , externum involucrum deinde lenta erosione absumpserit , antequam duæ propriæ arteriarum tunice grumo interposito , vel mutuo contactu , coaluerint . Quamvis autem in eo casu ab hoc ligaturæ vitio hæmorrhagiam minime profectam fuisse , cadaveris examen docuerit ; consulendum tamen sibi fore huic curationis periculo , quod celebriorum Angliæ , Galliæ , Italiæ , Genevæ Chirurgorum inventa , et ingeniosa artifacia removere adhuc non potuerunt , Attius animadvertisit . Etsi enim ipsi videretur Paulli Assalini forcipem huic incommodo posse mederi , nonnihil tamen in ea emendandum , addendum , immutandum censuit , ut sanguinis cursum pressione sua intercipere

valeret, quin arteriæ tunicas vel præcideret, vel corroderet: secus Assalini forceps eosdem perniciosos ederet effectus, quos ligaturæ objectari posse affirmavimus, quemadmodum experientia ipsi Attio, et Joanni Baptista Monteggiæ comprobavit.

Quapropter forcipis Assalini sinum, qui interiori verticis utriusque rami superficie ad excipiendam arteriam excultus est, pulvinulo muniendum utrobius esse judicavit, ut molliori vi parietes urgerentur arteriæ. Apices præterea ramorum forcipis, quos Assalinus ita axiculo conjunxerat, ut orbibus cochleæ, in manubria injectæ, claudi et aperiri possent, Attius decussatim disposuit, ita ut unius, vel alterius cochleæ orbis conversione diducerentur facilius, et removerentur, tum cum forcipis pressione amplius non indigeret arteria. Quibus emendationibus in spem maximam adducebatur Attius, si vita sibi suppeteret, futurum ut ejus expectationi Assalini forceps penitus responderet. Quod ideo palam feci hoc loco, ut ejus inventis, quæ mors ipsi vetuit experi, unusquisque juvari, et observationibus suis valeat confirmare.

Priusquam autem aneurysmatis argumentum dimitto, præstat observationem alteram ipsius Attii exponere, quæ non parum ad ea, quæ nuper prolata sunt, referri videtur. Aneurysma a vulnere ortum infra cubitum hominis cujusdam, improbis laboribus addicti,

eruperat; pro cuius sanatione ligaturam arteriæ humeralis ad interiorem bicipitis musculi marginem Aneliana methodo Attius instituerat. Injecto vinculo, paullatim tumor aneurysmatis evanuit, pulsatio vero non desiit: nec ibi tantum, ubi tumor excreverat, sed in universo brachialis arteriæ tractu, si spatum trium aut quatuor digitorum ligato loco adjacens excipias, in quo pulsatio conquievit: immo circa tumoris centrum, ubi vulnus illatum fuerat, pulsatio major prodiit, ligata arteria, quam fuerat, non ligata: fremitu etiam quodam, et stridore comitata: quod non ineunte tantum, aut procedente curatione, sed extracto quoque e vulnera vinculo, et obducta cicatrice, observatum est, atque duobus post annis, quam æger convaluerat, perstitit; quacumque alia præteriti aneurysmatis discussa noxa; licet æger consuetis laboribus, nulla salutis ratione habita, indulgeret.

Ex qua observatione patet quidem, ramos nonnullos, qui ultra ligaturam ab humeralis arteriæ truncо discedebant, infra ligaturam ad eundem truncum supra vulneris locum rediisse; alias sanguinis cursus in loco antea vulnerato non mansisset. Vulnerus autem, arteriæ olim inlatum, coaluit ne sponte, aut ligaturæ ope, vel adhuc hiabat? Si primum; unde stridor, et fremitus, qui sanationi aneurysmatis reliqui fuerunt? Si alterum; cur tumor, scilicet sanguinis a vulnera in adjacentes partes effusio,

post ligaturam cessavit, nec ad pristinam magnitudinem unquam rediit, non obstantibus gravissimis diuturnisque brachii ipsius laboribus? Problema hoc Chirurgis solvendum, aut saltem ulterioribus observationibus, et cadaverum sectionibus explanandum, quod vivus non potuerat Attius, moriens reliquit.

Hactenus ea, quæ ad aneurysmata spectant. Alia vero nonnulla, eaque maximi momenti, pro difficillima et implicata fistulæ perinæalis curatione Attius excogitavit, quæ nitido sermone discipulis suis quotannis explicabat, quæque typis pervulgari merebantur; tanta in ipsis sagacitas et ingenii solertia elucebat.

Prætermisis iis fistulis, quæ vel a lithotomia, vel ab abscessu perinæi oriuntur, eas curatu asperiores fistulas considerandas suscipit Attius, quæ a coagimento, a cicatrice, a callo, ab excremento, vel a tumoribus adjacentibus urethræ proficiscuntur; quibus causis inhibitus urinæ cursus, in subjectum scrotum, aut in perinæum, discissa urethra, irrumpit, suoque perenni stillicidio ulcus parit et fovet, quod deinde in fistulam abit.

Curationem hujus morbi eo dirigebat Attius, ut urethræ obstacula, scilicet causæ removerentur, et fistulæ callus consumeretur; adeo ut urina, relicta perinæi via, in pristinum urethræ canaliculum, per quem excurreret, se recipere.

Hujus porro curationis duplex occurrit cassus: alter scilicet, in quo urethra, licet admodum impedimentis coarctata, subtilissimum tamen specillum, vel catheterem admittit: alter vero, in quo obstaculis praedictis obstructa penitus urethra, impenetrabilis evasit. In primo casu sufficere Attius putat, omnes fistulosos sinus, quotquot in urethra hiant, incidere, et linamentis interpositis suppurationem in iisdem ciere, ex quo callus exeditur, et cicatrix obducitur; qua perfecta, non difficiliter urethræ angustia, immissis in eam specillis flexilibus, ex gummi elasticò vel ex cera, initio gracillimis, mox crassioribus, paullatim relaxatur. Alterum autem casum, qui omnium periculosissimus est, qui que ipsi se obtulit, ita describebat Attius. Pertinax ischuria hominem quendam excruciatbat: nullum specillum, vel maxime exile, urethram trajicere poterat: ingens vitæ imminebat discrimen: una salutis spes vesicæ punctioni nitebatur; quæ tamen multis de causis, ut fit, in posterum quotidie differebatur. Urina interim diuturnioris moræ impatiens, disrupta urethra adversus obicem, in proximam cellularem iter sibi patefecit; ubi oborta primum, dein remota gangræna, foramen substitit, ex quo urina, ab urethræ hiatu profluens, manabat. Tunc Chirurgus, qui curationem susceperat, verens ne forte rima illa deinceps obstrueretur, cupiens immo eam fistulosam, idest perennem fieri, parvum obtu-

ramentum ex ceræ frustulo in ea constituit, atque manere jussit: cuius consilium aspernatus æger, cum jam id accidisse, quod Chirurgus exoptabat, ratus esset, obturamentum neglexit; quo factum est ut rima paullo post coaluerit, et redeunte ischuria, in vitæ discrimen æger iterum fuerit adductus. Inter hæc accersitur Attius, cui nihil aliud superesse videbatur ad miserrimum hominem ab interitu prohibendum, præter vesicæ punctionem. Cum autem animadverteret Attius, quam ærumnosa futura esset reliqua ægrotantis vita, si perenni vesicæ foramini, et perpetuo urinæ stillicidio, quod nec obturamentum valet omnino cohibere, obnoxius fieret; in mentem ei venit novam experiri curationis rationem, dubiam illam quidem, et factu difficultissimam, quæ causam auferret, et urethram reseraret, ut naturalem viam urina posset relegere. Cumque cognovisset, se nunquam in urethram catheterem immissurum, nisi prius obstacula, quibus ejus canalis occludebatur, dimovisset; Naturam sibi proposuit in exemplum, quam recordabatur, alia via urethram sponte aperuisse, atque ita ægrum ab ischuria paullo ante liberasse; eaque spe clausum urethræ spatium laxare contendit. Hinc juxta perinæi suturam, quæ *rhaphe* vocatur, membranaceam urethram inter bulbum et prostatam, ubi urethra ex urina tumebat, incidit. Eruptit illico magno impetu ingens urinæ copia.

Tum Attius per inflictum vulnus in anteriores, sive exteriorem urethræ partem sulcatum specillum eo consilio demisit, ut in obicem offenderet. Occurrit statim specillo urethræ angustia, in quam cum caute et leniter specillum ipsum insinuasset, per ejus sulcum exilissimi cultri aciem ulterius impulit, quo urethræ angustiam illam omnino relaxavit. Deinde sulcatum specillum, a vulnere extractum, per urethræ orificium in eundem locum demisit; quo alterum obstaculum, ibi inhalerens, eodem cultro superavit. Patuit exinde latus et facilis urinæ transitus a vesicæ cavo ad exteriorius urethræ orificium.

Cum autem vulnuscula istiusmodi abstergi cœperunt, metuendum sibi Attius putavit ne urethra, obducta cicatrice, in pristinam angustiam adduceretur: ad quod antevertendum expedire duxit, torulum ex cera in urethram intromittere, atque adeo retinere, donec vulnus penitus obduceretur; quod revera brevi tempore prospere successit.

Huic simillimam curationis rationem paullo post Josephus Nessius in suis Institutionibus Chirurgicis, anno millesimo septingentesimo octogesimo nono editis, proposuit; ac proinde eam ipsam, quam paullo ante invenerat Attius, sua auctoritate et exemplo confirmavit.

Quomodo autem se geret Chirurgus, cum obstaculum urethræ non prope, sed procul a perinæi vulnere insidet? Huic quoque, asperri-

mo sane incommodo , Attius occurrit ; namque scalpello , quod in primo casu adhibuerat , in hoc altero cuspidatum stilum , argenteo tubulo exceptum , subrogavit ; ita ut obstaculo obviam præiret fistula , mox in eam impelle- retur stilus ad impedimentum diffindendum . Quod si urethræ obstaculum vesicæ ostio ita proximum esset , ut tuto incidi in perinæo urethra non posset , propterea quod neutiquam ibi ejus tumor prodiret ; Attius exemplo suo auctor est , demittendum esse in urethram , usque ad obstaculum , catheterem sulcatum nullo termino circumscriptum : scalpelli communis ope incisionem quinque linearum in perinæo instituendam juxta catheterem : per ejus sulcum , vulnere jam denudatum , perexilem fistulam inter ambages , et anfractus urethræ paullatim et cautim insinuandam , donec in vesicam , quod ibi facillimum factu est , possit penetrare , et nonnihil urinæ ad ægrum levandum educere . Deinde argenteum specillum sulcatum juxta fistulam in vesicam demittendum , suo sulco excipiens fistulam : quo facto fistula educitur , et gracilissimo scalpello , in sulcum specilli ducto , quidquid urethram impediebat , scinditur , discutitur , evertitur . Hoc artificio relaxata extrema urethræ cervice , catheterem ex gummi elastico , duce specilli sulco , in vesicam protrudere docet , alterumque ejus extremum per idem vulnus in superiorem urethræ partem impellere , donec ab ejus orificio pro-

deat: ibique jubet per aliquot dies permanere. Hac ratione in uniformem, quæ ejus propria est, latitudinem urethræ canalis restituitur: et ad perinæi vulnus, et ad circumpositam cellularem urinæ aditus intercluditur.

Ut autem curatio hæc expeditior, et aptior fieret, duo videbantur desiderari; commodior scilicet elasticci catheteris in superiorem urethræ partem ingressus, et obstaculorum, quæ superiorem hanic urethræ partem sæpe intercipiunt, facilior, et tutior incisio. Hisce defectibus ut mederetur Attius, specillum excogitavit, quod per exiguo capitulo præcedens, inter urethræ angustias se se insinuaret. Aliquanto vero supra capitulum non nihil crassescebat specillum, et sulco fodiebatur, ut angustissimi cultri aciem ad obstacula illa perfringenda posset excipere. Relaxato canaliculo, specillum jam a perinæi vulnere prodibat, atque usque eo demittebatur, donec parvulum foramen, prope ejus capitulum ad sulci radicem hians, in conspectum Chirурgo se daret. Huic forami- ni superius elasticci catheteris extremum, in cuius ostium specilli capitulum jam se intulerat, innectebatur, ejusque ope in reliquum urethræ spatium trahebatur.

Monendum tamen, in hoc tantum casu catheterem elasticum intrudi et manere in urethra Attium voluisse; namque in cæteris casibus, in quibus nullum aliud vitium, præter hiatum vulneri perinæi respondentem, urethræ

inhæret, inutilem, immo perniciosa, cathe-
teris præsentiam in urethra existimavit.

Cæterum ingeniosa hac curatione, quibus-
cumque urethræ obstaculis, atque impedimen-
tis ab se accomodata, periculosam adeo et mo-
lestam cistotomiam ei tantummodo ischuriæ
Attius reservavit, cujus causa in prostata
inest, aut in vesica.

Præter ea Opuscula, de quibus superius
retuli, quæ in Actis Instituti Italici olim edi-
ta fuerunt, quorum primum et alterum de
Lithotomia, postremum de Aneurysmate disse-
rit, alia duo Opuscula serius conscripsit At-
tius, quæ typis pariter Bononiæ mandata fue-
runt: quorum alterum fistulas salivarias respi-
cit, alterum maxillæ inferioris a sua sede re-
cessum complectitur. Utrumque paucis per-
stringam.

Fistulas glandulæ Parotidis ab iis, quæ e-
jus canaliculum afficiunt, opportune distinguit
Attius. Ad illas aptissimum esse medicamen-
tum causticum, quod Veteribüs adeo placebat,
existimat; cujus ope quascumque parotidis fi-
stulas prospere, et expedite ipse sanavit. Ad
has vero curandas ineptissimum esse causticum
Attius putat; utpote quod uni vel alteri pa-
rotidis acino, aut capillari ejus ductui, ero-
dendo et consumendo par quidem sit, commu-
ni vero canaliculo, qui a Stenone nomen du-
xit, per quem omnis saliva, a parotide scatu-
riens, præterfluit, obliterando impar omnino
videatur.

Itaque rejecto pro hujus fistulæ curatione causticorum usu, recentiores tres methodos expendendas suscipit Attius, quarum prima naturalem salivæ ad os tramitem, fistula interceptum, restituere conatur: altera artificiale foramen naturali, jam deleto, substituit; ut saliva, declinata fistula, iterum in os possit effluere: tertia tandem cohibere glandulæ munus, idest salivæ confectionem aut cursum contendit, atque ita morbi radices omnino evelere.

Primæ curationis rationi adversatur Attius, licet illustres Viri, Louis et Morandus, id feliciter per eam aliquando, quod sibi proposuerant, sint assecuti; namque nativa illius canaliculi, per quem saliva ultra fistulam in os effundi solebat, angustia, salivæ ipsius privatione adaugetur, et sæpe etiam omnino obstruitur; ita ut neque inveniri ejus ostium, neque in ipsum immitti specillum possit: quibus difficultatibus Louis ipse adeo commotus fuit, ut methodum hanc, a se inventam, paullo post sponte deseruerit.

Neque Attio magis arrisit postrema curationis ratio, vetus ea quidem, sed jam obsoleta, qua Stenonis ductus ligatura obturatur, aut parotis ipsa diuturna pressione extenuatur et absumitur; nam etsi Haphniensi Veterinario Viborgo concedas, tumorem glandulæ, a Stenonis ductus ligatura ortum, discutientibus remediis adhibitis cito subsidere: et Petro De-

Desault consentias parotidem, pressione coactam, nullo periculo aut molestia a suo officio cessare, imminui, atque etiam avanescere; Josepho tamen Attio assentiendum est, non esse tanto salivæ fluxu, quantus a parotide emanat, ciborum digestionem, in homine saltem, defraudandam; cum eam fistulam sanare alia ratione possis, etiam parotide remanente.

Eam itaque methodum Attius probavit maxime, et cæteris antetulit, quæ artificialem salivæ aditum ad os patefaciat: pro quo itinere aperiendo causticum a Le Roy adhibitum rejicit Attius, quod deformem cicatricem parit, neque satis amplum in ore ostium relinquit. Monroi etiam et Desault methodos respuit Attius, qui funiculo trajecto in apertum punctione foramen, hoc perenne se reddituros sperabant; dum enim oris hiatum funiculo intercludunt, omnis saliva ex gena effluit, ideoque fistula diutius perseverat. Hisce mendis immunem Clarissimi Duphenixii methodum censuit Attius, qui scalpello rimam os versus aperiebat, in eamque tubulum ex plumbi lamina undique perforata immittebat, ut teres, et salivæ pervia ea rima evaderet; atque eo usque tubulum ibi retinebat, donec foramen illud cicatrice indueretur. Fistulæ vero callum duobus ellipticis vulnusculis ad latera inflictis, et in angulum supra, et infra concurrentibus, auferebat: quo facto vulnerum labia ad contactum adducebat, ut citius cohærerent.

In qua curationis ratione nihil admodum Attius immutavit, nisi quod stilum triangularem ad perfodiendum interiorem genæ parietem, ut foramen statim fieret rotundum, scalpello subrogavit: et præterea causticum ellipticis illis incisionibus substituit, ad externum fistulæ hiatum crusta illico obstruendum, et ad callum exedendum; ut mitius, et promptius cicatrix, crustæ subjecta, fistulæ obduceretur.

Tandem ad machinas, quibus Veteres ad reponendos in suas sedes articulos, qui ab iis recesserant, utebantur, animum convertit Attius: quas neque contemnendas, neque penitus abjiciendas, firmissimis argumentis, ex physica, et animali dynamica desumptis, plane et dilucide ab se expositis, nititur comprobare; nam si quid vitii in hisce Antiquorum machinis inest, illud totum a redundantia, qua obruuntur, proficiscitur: quod vitium facili negotio recentiores Chirurgi emendabunt, si simpliciores eas reddent, et rectius iis utantur; quin earum adjumento, hujus vitii ergo, Chirurgiam omnino carere patientur. Neque iis tantum reponendis articulis, quibus validiores musculi obstant ne in sua loca restituantur, hujusmodi machinæ prodessè possunt, sed in iis etiam, qui ad pristinum locum manibus dumtaxat reduci solent, magno interdum nobis sunt usui; tum scilicet, cum diutius extra suam sedem articulus inhæ-

sit. Neque eæ tantum machinæ , quas Majores nostri nobis tradiderunt , nonnunquam sunt adhibendæ , et olim intermissæ in lucem revocandæ , sed novæ quoque aliquando sunt excoxitandæ , atque construendæ , ut inopinatis eventibus providere possimus .

Hæc scilicet occasio Attio se obtulit , tum cum maxillam inferiorem , jamdiu prolapsam , in suam sedem compellere manibus non potuerit . Nempe Mulieri cuidam , viginti quinque annos natæ , nervorum distensione inter partus conatus , et dolores correptæ , dum pandiculans oscitaretur , os adeo diductum est , ut articulares inferioris maxillæ condyli a glenoide ossis temporalis sinu recesserint , et in priorem partem exciderint . Centro maxillæ motus in anteriorem partem transvecto , *masseteres* musculi , quorum est os claudere , hians obstinate detinebant : et totum mentum in exteriorem partem prominebat . Hac specie decepti Chirurgi , cum phænomenon omne a muscularum spasio repeterent , vera eos morbi causa latuit ; neque proinde alia ratione ei occurrentum esse , quam emollientibus emplastris , ad genas admotis , putaverunt . Cum ingravesceret in dies hac curatione morbus , ad Nosocomium delata est mulier : ubi morbi quidem natura statim patuit , sed nimis sero reductio ossis tunc tentabatur , cum mensis integer jam præteriisset . Quid manibus niti , et assequi posset , expertus est ipse Attius , sed

incassum ; adeo intenti super genas musculi , et ligamenta reluctabant . Tunc necessitate coactus duas construi forcipes curavit , quarum utraque duobus ramis constaret , non iis quidem decussatim dispositis , sed simul propœ verticem articulatis ita , ut quantum earum manubria mutuo admoverentur , tantum vertices recederent . Uterque autem vertex in spathulam abibat , pulvino duro , ne dilaberetur , exterius involutam .

Forcipibus ita comparatis , eas in os mulieris Attius conjiciebat , atque utrinque super extremos molares dentes oblique collocabat . Deinde paullatim , sed valido nisu , cogere manubria cœpit , ut eadem ratione ducti vertices , cum superiore maxillam movere non possent , omni vi in inferiorem urgeant . Tanto conatu revera compulsa maxilla , loco cedere primum visa est , mox evidentius deprimi , et deorsum ferri , prout manubria astringebantur . Minister interim , jubente Attio , maxillam vehementer , juxta Celsi monita , apprehendebat : mentum concutiebat , et ad guttur adducebat , ut condyli de eo loco dimoverentur : tandem , excitato mento , maxillam æqualiter retro agebat , atque in suam sedem compellebat . Hæc omnia uno fere temporis momento facta sunt : neque profecto ejus maxillæ restitutionem manibus unquam Attius obtinuissest , nisi earum imbecillitati forcipum præsidio subvenisset .

Ex his , quæ hucusque protuli , mihi satis patere videtur , quam ingeniosus , et sagax Attius fuerit ad instrumenta quæque invenienda , et aliorum inventa perficienda . Hinc Chirurgiæ Libros omnes , quotquot in lucem prodibant , sedulo evolvebat , ut quidquid utile , vel idoneum in ipsis reperiret , arriperet , et quidquid ad commoditatem Chirurgiæ converti posset , consulte excerpteret , et emendaret . Itaque non peritissimus modo , sed etiam eruditissimus Chirurgus habebatur .

Quid igitur mirum si ejus nominis fama universam Italiam longe , lateque sit pervagata ; ita ut ad remotiores quoque Italiæ urbes Attius accersiretur , ut gravioribus morbis opem afferret ? Quid mirum si ejus consilium circa obscuriorem morborum naturam , et curationem exteri etiam Chirurgi per literas sæpissime expetiverint ? Si quis vero præclarus Chirurgus Bononiæ forte advenisset , nihil ei potius erat quam ut Attium conveniret : inter quos recensendi sunt Franciscus Pajola , Andreas Vaccà , Joannes Bell , aliquique permulti illustres Viri , et qui mihi est instar omnium , præclarissimus Scarpa .

Sed ut ad eximia animi ejus ornamenta paullisper me convertam , non est silentio prætereundum , quanta fuerit in amicos fide , in propinquos benevolentia , in egenos misericordia ; namque et eos omnes , quorum consuetudine captus olim fuerat , jucundissima familiaritate sibi perpetuo conjunxit : neque tantum-

modo filios , uxorem , et fratres carissimos semper habuit , sed et cæteros , quotquot ipse cognatione vel agnatione attingebat , tanto amore complexus est , dum vixit , ut nemo unquam ei fuerit jucundior . Quid autem de ejus miseratione erga pauperes dicam , quibus faciles , et attentas aures in adversis ubicumque præbebat , et præsto semper erat ; non lucri aviditate , aut spe ductus , sed sola laudis , pietatisque cupiditate permotus ?

Nimius sim si omnia ejus virtutum testimonia velim afferre ; erat enim benignus , affabilis , comis , et urbanus in omnes : promptus , hilaris , facetus in conviviis et in cœtu amicorum : probus , et honestus adeo ut nemo magis : propositi tenax , et datæ fidei cultor diligentissimus : candidus , et ingenuus supra quam dici potest : impiger , industrius , modestus , mansuetus : atque illorum æquo animo ferens injurias , qui ab eo superari ægre patiebantur .

Tot virtutibus exornatus Attius , omnium oculos in se convertebat , iisque admirationem sui , suæque integerrimæ vitæ injiciebat . Neque quisquam erat in hac Civitate , qui eum non coleret , atque diligeret ; sive moribus ejus illectus , sive beneficiis devinctus .

Hic tantus Vir paucos ante annos , cum jam consenuisset , renibus cœpit laborare , ex quibus interdum calculi per ureteres in vesicam inter diros cruciatus demittebantur : neque exinde omnes per urethram forte ejicie-

bantur. Postremo febri intermittenti perniciosa (ut vocant) correptus, quæ sopore primum, mox apoplexi, instans vitæ discrimen prænunciabat, quæque a renis, aut vesicæ, aut utriusque morbo vel oriebatur, vel saltem fovebatur, tertio febris paroxismo invadente, decimo septimo Kalendas Octobris proximo superiore anno millesimo octingentesimo vigesimo sexto occubuit, annos natus tres et septuaginta.

Etsi vero secundum Naturam sit, unumquemque mori, et maxime senem, illud tamen in ejus morte miserrimum visum est, ac pene intolerabile, Virum hunc, quam longissima vita pro hominum generis utilitate maxime dignum, quique integra adhuc, et firma valetudine ad septuagesimum fere annum pervenerat, eo morbo subito corripi et confici, ex quo innumeri fere homines ejus auxilio convaluerant.

Hæc leviter attigi ad recentis jacturæ dolorem aliquo modo leniendum: quod unum solarium in funere desideratissimi Præceptoris mihi superesse videbatur. Quanquam alia suppetit, nec mediocris, doloris consolatio; eum scilicet, quem mortuum lugemus, præclarum Virum, non omnem interiisse; reliqui enim nobis ex eo sunt et Gener, et Filius: quorum alter, Soceri virtutum, et dignitatum hæres, eandem nominis commendationem jam obtinet: alter vero, utriusque præceptis imbutus, et exemplo excitatus, ad eandem gloriam assequendam contendit.

Die 17. Mensis Augusti 1827.

*Vidit pro Eminentissimo, et Reverendissimo
Domino Domino Carolo Card. Oppizzonio
Bononiæ Archiepiscopo Joan. Bapt. Bruni
Doct. Coll. Philol. et Professor.*

Die 20. Augusti 1827.

*Vidit pro Excelso Gubernio Dominicus Man-
dini S. T. D. Coll. Prior Parochus, et
Exam. Synod.*

Die 23. Augusti 1827.

Imprimatur ser: ser:

Passaponti.

